

annis transmissere christiani: ut diximus in oriente: Atque ex ea tempestate turcorum nomen antea uix satis notum maxime celebrari cepit. Porro Saladinum cuius in eo bello indyctum fuit uirtutis nomen: Quisque tam syrie quam Aegypti impium ex ea gente primus obtinuit: genere turcum fuisse apud omnes constat. Quamuis utraque gens in unum deinde quasi corpus sese confuderit: ut & Turci per sarrhacenis & sarrhaceni per turcis haberentur. Nam cum christiani principes eas terras bello petissent delendam mahumetanam sectam: tam turci quam sarrhaceni quasi ad commune incendium concurrere. Maximos tum christiani turcorum exercitus profligauere. Complures opulentas ciuitates aut receperunt aut expugnauerunt: omnem fere Ciliciam Armeniam: Cappadociam: Syriam phoenicem: Palestinam. Hierosolymam tandem sacrosanctam urbem receperunt. Ceterum magnis fortuna successibus fere semper inimica: paulo post subuertit omnia: quae prius laeta praestiterat. Ducetissimo namque post primam transmissionem anno eadem fortuna christianos expulit orientem: ut autem ad turcos redeam sarrhacena gens maiori imperii parte spoliata: post christianum bellum: primas turcis partes facile concessit. Nullus deinceps ex ea gente principatum obtinuit. Quin sarrhaceno homini in hunc usque diem tractare arma non licet. Soli dominantur Turci: ut Aulici ac nobilissimi quique Turcica loquantur lingua: Pudeat Arabica uerbum facere. Qui aliquo praeterea principatu praestant. Asiam & perfida uersus: Turcomanus se nuncupant. Qui uero syriam Palestinam Aegyptum populi incolunt: Sarrhaceni dicuntur: Mauri qui Africam prisco gentis nomine. Pulsis uero ex oriente christianis: maior deinde turcis asiam tenentibus rerum successus fuit. Omnia namque ad hellepontum usque breui tempore occupauerunt. Multa de ea gente scitu digna se se scribenda offerunt: Sed non ea historiae mandanda suscepimus. Illud non omittendum quod multis in locis deplorauimus seditiones & bella: cum caeterorum inuicem principum christianorum: tum uero uenetorum genuensiumque Aquibus genuensibus per ducentos fere annos: Id est post cretae insulae emptionem: usque ad philippi mariae Mediolani ducis dominatum: Nulla fere unquam fuit uenetis quies. Maximam Turcis commoditatem praestitisse ad christianum Imperium terra marique euertendum. Quo & n. usque coniunctis classibus Turcis obstiteret retro potius Turci pedem tulere: quam ut ultra processerint. Cum uero ruptis foederibus quibus ambo populi iuncti erant una cum Ioanne. xxii. Ponti. & Alexio imperatore constantinopolitano: cepere inuicem conferere arma: Tunc Morbassanus Achaiam subegit. Baixetes deinde Constantinopolim obsedit. Sigismundum Ungariae regem & Ioannem Burgundiae ducem apud Nicopolim insigni uictoria pluribus captis principibus in fugam dedit. Et nisi Tomiris tartarus genere quem Taberlanum uulgo adhuc uocitat: per eos dies decies centenis milibus in Asiam irrupisset: Baixetesque turcum congressum acie: profligatumque cepisset. Eo tunc exitu usque armis co-